

De erectione statuæ S. Patris Norberti in Basilica S. Petri Vaticana

In *Analectis Praem.* XVI, 1940, abbas LAMY scite scripsit de erectione statuæ S. Norberti in basilica S. Petri Vaticana ¹⁾. Quod fecit Lamy, potissimum et fere unice insistens documentis provenientius a procuratore Ordinis apud Curiam Romanam, N. Meyers, procuratore ex omni parte meritissimo, qui annis 1736-1778 zelosissime munus illud obiit ²⁾. Merita procuratoris Meyers ibi iure exhibentur; simul ac impedimenta varii generis et sane non modica quae ab illo procuratore superari debuerunt antequam intentum ab ipso Ordine susceptum de erigenda statuâ illa, et a Capitulo generali anni 1738 decisum ac approbatum ad finem foelicem perducere potuerit.

Ea autem quae ab abbate Lamy loco dicto proposita fuerunt ulterius et pressius determinari possunt ex iis quae ab abbatibus Grimbergensibus Van Eeckhout ³⁾ et Sophie ⁴⁾ narrantur in Diario ab illis abbatibus

¹⁾ H. LAMY, *L'Erection de la statue de saint Norbert dans la basilique Saint Pierre à Rome : Analecta Praemonstratensia*, XVI, 1940, pp. 109 - 144.

²⁾ N. Meyers, canonicus abbatiae Tongerloensis, natus 5 novembris 1695, procurator generalis Ordinis fuit Romae, ac insimul praeses Collegii S. Norberti ibidem, inde ab anno 1736 usque ad annum 1778. Cfr. de ipso H. LAMY, l.c., p. 110 - 112. Obiit 15 septembris 1778, « chargé d'ans et de mérites », uti recte scribit H. LAMY, l.c., p. 124.

³⁾ Augustinus Van Eeckhout (1670 - 1747), abbas fuit abbatiae Grimbergensis annis 1716 - 1747. Cfr. de ipso L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. II, Bruxellis, 1902, pp. 298 - 300. Testatur ipso de mediatus successor eius qua abbas Grimbergensis, J. - B. Sophie, in *Diario*, (de quo mox plura), II, p. 293: « Licet tantisper ad mediatum meum Praedecessorem, Amplissimum C. Augustinum Van Eeckhout revertar, virum omni exceptione maiorem, si pietatem, scientiam theologicam et historicam spectes, orator fuit disertissimus, concionator facundissimus, anima et consilium, paene dixero universi Ordinis nostri, quem cum omnium stupore a me visum in nupero Capitulo Generali Praemonstrati habito anno 1738. Vir fuit qualem vix habuit domus Grimbergana aut qualem forte non habebit posteritas, affabilitate omnium animos sibi devinciens, si in eius laudes excurrere liceret, infinitum me copia redderet ».

⁴⁾ J. B. Sophie (1692-1775) per plures annos fuerat secretarius et camerarius ac provisor sub abbate Van Eeckhout, abbate Grimbergensi; ipse Sophie, mortuo abbate Casens, abbas factus est Grimbergensis et remansit usque ad mortem suam (abbas fuit annis 1755-1775). Diarium inceptum ab abbate Van Eeckhout, et quod prosecutus fuerat abbas Casens (1747-1755), abbas Sophie, Vicarius generalis pro Circaria Brabantiae, pro annis 1755-1775 ulterius prosecutus est.

composito, asservato in archivo abbatiæ Grimbergensis ⁵⁾). Etenim, tum abbas Van Eeckhout, tum abbas Sophie sese exhibuerunt strenuos defensores atque fautores conatuum procuratoris Meyers quoad executionem decreti capitularis de erectione statuæ S. Norberti in basilica Vaticana. Quod ex plurimis annotatis in diario ipsorum abunde patet.

Ultimum Capitulum generale ante perturbationem, Gallicam dictam, celebratum fuit anno 1738, sub praesidio abbatis generalis Claudii Honorato Lucas. Capitulo isto generali absoluto, Virduni, apud Petrum Perrin, filium, Bibliopolam, proelo multiplicata prodierunt « Acta » illius Capituli, sub titulo : *Capitulum Generale Ordinis Praemonstratensis, Praemonstrati celebratum. Anno Domini M. DCC. XXXVIII*. 34 pp. Comparationem instituendo inter numerum Abbatum et sodalium Ordinis huic ultimo Capitulo assistentium et Capitulis praecedentibus (tunc admodum raro celebratis), constat huic ultimo Capitulo generali anni 1738 relative permultos Abbates adstitisse et conclusionibus subscripsisse. Huic Capitulo intererat abbas Grimbergensis, Van Eeckhout, simul cum illo qui tunc secretarii munus sui abbatis gerebat, et postea ipsius successor mediatu erit. In Diario abbatum Van Eeckhout et Sophie (l.c., II, p. 33 - 64), invenitur expositio longe fusior eorum quae in illo Capitulo acta ac decisa fuerunt quam in Actis impressis et editis Virduni, anno 1738. Hac ratione mirum non est in Diario abbatum Van Eeckhout et Sophie plurima exponi et declarari de quibus in Actis impressis Virduni parum, imo fere nihil edicitur.

Dicimus « parum vel fere nihilum ». Decisio ipsa erectionis statuæ facienda clare enuntiatur in Actis impressis. In sessione undecima quidem ita decretum est : *Item, decrevit Capitulum SS P. N. Norberti Statuam in Ecclesia Vaticana communibus Ordinis impensis esse erigendam* ⁶⁾).

Huic Capitulo, praeter plurimos Abbates, etiam procurator generalis Ordinis Meyers intererat. Ita enim dicitur in Actis Capituli impressis : « R. P. Nic. Meyers, Praeses Collegii S. Norberti in Urbe, et Ordinis in Curia Romana Procurator Generalis » ⁷⁾).

Decisio in hoc Capitulo lata de erectione Statuæ S. Norberti in basilica Vaticana iam ante ipsam celebrationem Capituli proponebatur in litteris indictionis Capituli. Asservatur siquidem in archivo abbatiæ Wiltinensis (Lade 7, AA, nr. A), copia litterarum quae ab abbate gene-

⁵⁾ Diarium illud, conscriptum ab abbatibus Van Eeckhout, Casens, Sophie, Maras, asservatur (duobus voluminibus constans) in archivo abbatiæ Grimbergensis : II 19, 20.

⁶⁾ Ita legitur in Actis Capituli impressis Virduni, apud Petrum Perrin, 1738, p. 31.

⁷⁾ Cfr. *ib.*, p. 6.

rali, Claudio Honorato Lucas, missae fuerunt variis Abbatibus Vicariis Generalibus; quibus abbates omnes et singuli Ordinis convocantur ad proxime instans Capitulum Generale celebrandum. Copia ista, Wiltinae asservata, copia est litterarum authenticarum transmissarum abbatibus Circariae Bavariae; et missa ab abbate Iacobo Gruber, abbate Neocellae = Neustift, eo tempore Vicario generali pro circaria Bavariae ⁸⁾. In litteris illic convocatoriis, emanatis ab ipso Abbate Generali, haec, inter alia, habentur :

« Capitulum Generale, Amplissime Domine, de consensu Catholicorum Principum certiores facti, praesentibus indictionis litteris vobis annuntiamus, vestrum erit convocationem omnibus Circariam vestrarum Monasteriis, domibus et Collegiis debite notificare, totisque nisibus allaborare, ut si illac non possint convenire omnes Praelati et Superiores, plures saltem Circiarum vestrarum deputati generalibus Ordinis comitiis interesse non omittant.

Vobis enim incumbit in Circariis vestris tallias ab unoquoque Monasterio Ordinis debitas colligere, et ad Capitulum Generale afferre pro amplissimo Capitulo more destinandas.

Anno proxime elapso, iam vobis scripsimus vehementissime urgere Eminentissimum in Curia Romana Protectorem nostrum ⁹⁾, ut in Ecclesia Vaticana communibus Ordinis impensis erigeretur Sanctissimi Patriarchae nostri Norberti statua; de eodem stylo urgente iterum scribit modernus Procurator Generalis Romanus ¹⁰⁾, Sacrum Ordinem instantissime rogans, ut erigendae de Sanctissimi Patriarchae nostri in honorem et in Ordinis decus statuae quamprimum provideat. Agedum igitur et commendatum iam pridem negotium ea promovere diligentia, qua fiat, ut in Capitulo Generali ultima tandem ei manus admoveatur.

Tallias sibi debitas petit etiam et iuste quidem dictus Procurator Generalis ¹¹⁾; illarum solutionem tibi etiam commendamus. Caeterum maneo ex intimo animi sensu addictissimus tibi, Amplissime Domine et

⁸⁾ Abbatia Neocellensis sita erat prope civitatem Frisinginam (Freising) (suppressa fuit gubernio civili anno 1803). Iacob Lacopius Gruber ibidem abbas fuit annis 1721 - 1740, et Vicarius generalis Circariae Bavariae annis 1722-1740. Cfr. N. BACKMUND *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 43 et 37.

⁹⁾ Protector ille Cardinalis erat Hannibal Albani. Cfr. H. LAMY, l.c., p. 113.

¹⁰⁾ Nicolaus Meyers. Cfr. supra, n. 2.

¹¹⁾ Claudius Honoratus Lucas de Muin constitutus fuerat abbas Praemonstrati et proinde abbas generalis totius Ordinis die 16 iulii 1702. Mortuus est die 13 novembris 1740. Cfr. C. TAIEE, *Prémontré*, t. II, Lauduni, 1873, pp. 180-184.

devinctissimus Confrater tuus. Placeat adm Dominationi vestrae de praesentium receptione nos certiores reddere.

Fr. Claudius Honoratus Lucas, Praemonstrati Abbas et Generalis ¹²⁾. P.S. -Si quis in Circariis vestris aliquid proponendum habet circa Ordinarium de novo typis mandandum, observationes suas mittat ad Capitulum Generale.

Praemonstrati, 16 Augusti 1737.

Quod ista cum originali concordant, testor manu propria et sigillo meo Abbatiali.

Iacobus Lacopius ¹³⁾.

Litterae eiusdem prorsus tenoris asservantur in Archivo Tongerloensi (Capitula generalia, nr. 27); directae quidem abbati Tongerloensi, Van der Achter ¹³⁾, tunc temporis Vicarii generalis pro Circaria Brabantica. Ex litteris responsoriis abbatis Van der Achter, directis Abbati generali (Arch. Tongerlo; l.c., nr. 84), diei 24 Ianuarii 1738, apparet abbatem Van der Achter simul cum abbatibus suae Circariae convenisse ac congregationem iam instituisse, in qua de negotiis in Capitulo proxime celebrando tractandis simul ac de ratione itineris instituendi in Prémontré actum fuit. In responsione ab abbate Van der Achter missa Abbati generali, haec de intento statuæ S. Norberti erigendae in basilica Vaticana dicuntur: « In praefata congregatione egi etiam cum dictis Coabbatibus meis super statua S. Norberti erigenda in Ecclesia Vaticana Romae, et nulla desuper erit ex partibus nostris, ut existimo, contradictio in Capitulo Generali ».

Indem fere rescripserat abbas Petit, abbas Bonae Spei, et Vicarius generalis pro Circaria Floreffiae ¹⁴⁾: « Mandat etiam aliquam pecuniam a quolibet monasterio Ordinis donari et colligi, pro statua Sanctissimi Norberti, patriarchae nostri, in Ecclesia Vaticana Romae erigenda » ¹⁵⁾.

Supra iam notavimus, Capitulum Generale anni 1738 explicitis verbis approbasse intentum Ordinis erigendae statuæ illius S. Norberti,

¹²⁾ Abbas Gruber Cfr. supra, n. 8.

¹³⁾ Iosephus Van der Achter abbas fuit Tongerloensis annis 1725-1745; Vicarius generalis pro Circaria Brabantiae, annis 1724-1745. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. II, Straubing, 1952, pp. 335 et 253.

¹⁴⁾ Hieronymus Petit abbas fuit Bonae Spei annis 1724-1752; Vicarius generalis pro Circaria Floreffiae, annis 1726-1752. Cfr. N. BACKMUND o.c., II, pp. 364 et 355.

¹⁵⁾ Cfr. H. LAMY, l.c., p. 125.

Romae in Basilica Vaticana. Verba istius decisionis, uti in Actis impressis illius Capituli enuntiantur, supra dedimus. Ait siquidem Capitulum verbis explicitis : « Decrevit Capitulum ».

Abbas Grimbergensis Van Eeckhout in Diario suo nonnulla notat de modo quo decisiones Capituli expressae fuerunt, in genere. Potissimum de ratione qua decisiones illae impressae fuerunt. Ita nempe scribit, l.c., p. 38 : « Promotor Capituli, Abbas Castelli Mauritaniae ¹⁶⁾ qui et eodem officio functus fuerat in novissimo Capitulo generali anni 1717. Hujus est negotia proponere, quamquam et singulisque hoc liceat, prout saepe factum. Revisores decretorum et sigillatores : Strahoviensis ¹⁷⁾ et Grimbergensis ¹⁸⁾. Decreta revidimus, sed satis festinanter, urgente Reverendissimo ¹⁹⁾ et plerisque Praelatis finem fecerunt feria 6a in sessione vespertina ²⁰⁾. Prout et die sequenti mane conclusum fuit, et toti Conventui in ejusdem Capitulo praelectum, In nostra revisione ultima et dicta praelectione nihil magnopere desideravi correctum. Id diebus singulis praestiteram - Strahoviensi plerumque aliis commissionibus distento-multaque corrigere debueram, sive amanuensis vitio sive ex alio capite minus clare et latine expressa, ut sunt Galli plerique modice latini, quod pace ipsorum dixero, totique Capitulo patuit. Eruditionem non tango, quae et inter illos reperitur. Nationis vitium est vix quidquam aestimare quod suum non est. Hoc, visis decretis, ut impressa sunt ²¹⁾, desideravi, ut quo ordine in originali extant et praelecta sunt, etiam impressa fuissent-quod opinabar futurum-; sed dum haec minimum abbreviare voluerunt, multa involverunt-licet

¹⁶⁾ Castellum Mauritaniae = Chateau Mortagne; Chateau l'Abbaye; vel : Chateau-dieu; situm in hodierna dioecesi Cameracensi (Cambrai); suppressum a gubernio civili anno 1794. Annis 1711 - 1746, abbas ibidem erat Basilius de l'Espierre. Cfr. N. BACKMUND, o.c., II, p. 408. Citatur in Actis Capituli gen. anni 1738, Virduni impressis, p. 4 : Basil. Delespierre, Abbas Castellensis.

¹⁷⁾ Abbas Strahoviensis (seu Mons Sion, in civitate Pragensi), annis 1711-1741, erat Marianus Hermann; annis 1714-1741, Vicarius generalis pro Circaria Bohemiae et Moraviae. Cfr. N. BACKMUND, o. c., I, pp. 313 et 281. Citatur in Actis impressis Capituli generalis anni 1738, p. 4 : « R. D. Marianus Herman, Sac. Theol. Doct., Abbas Strahoviensis, Bohemiae, Moraviae, Silesiae et Austriae Vicarius Generalis ».

¹⁸⁾ Augustinus Van Eeckhout. Cfr. *supra*, n. 3.

¹⁹⁾ Abbas generalis et praeses Capituli erat Claudius Honoratus Lucas. Cfr. *supra*, n. 11.

²⁰⁾ Hoc factum est die 9 Maii anni 1738.

²¹⁾ Acta illa impressa fuerunt sub titulo : *Acta et Decreta communia Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis, Praemonstrati celebrati. Anno Domini M.DCC.XXVIII a Die IV. Maii usque ad decimam inclusive. Virduni, Apud Petrum Perrin, Bibliopolam. M. DCC. XXXVIII. Cum privilegio Regis.*

salva rei substantia, et obscura, nec satis nitida nobis transmiserunt, ut non loquar de mendis typographicis etiam sensui contrariis».

Ex iis quae ratione generali abbas Van Eeckhout exponit, sequitur ipsum omnia quae in illo Capitulo Generali dicta, acta et determinata fuerunt, optime novisse, notasse et perspexisse.

Testimonium proinde huius abbatis relate ad illa quae circa erectionem dictae statuæ in basilica Vaticana dicta ac determinata fuerunt in illo Capitulo elementa valore obiectivo non destituta referre obvium est.

Relate ad decisionem latam de erigenda illa statua, haec notat abbas Van Eeckhout, l.c., pp. 54-56 : « Quod attinet Statuam S. P. Norberti notandum est, quod aliorum Ordinum fundatoribus pridem erecta fuerit Statua in Ecclesia Vaticana Romae, id quod hucusque Ordo noster non fecerat. Cum vero nuper Eminentissimus Albani, praedictae Vaticanae Ecclesiae Archipresbyter et Ordinis nostri Protector, erigendae S.P. Norberti ut fundatoris Ordinis Statuae locum opportunum assignasset, Procuratori nostro Romano ²²⁾, mox hic assignati loci possessione gratanter adiit, collocato ibidem titulo : *S. Norbertus fundator Canonicorum Regularium Ordinis Praemonstratensis*, iussitque per celebrem artificem Statuae ideam delineari, quae exhibebit S. Patrem statura supra ordinariam, habentem sub pedibus Tanchelinum, dextra gestantem Venerabile Sacramentum, indicantem sinistro idem, quasi ostendentem Tanchelinum capite eapropter nonnihil ad haeresiarcham inclinato. Hanc idem Praemonstratum attulit ²³⁾, interrogatusque de pretio, respondit Statuam fortasse constaturam octo millibus scutorum Romanorum. Caro quidem sed considerandam dicebat Artificis peritiam, Statuae materiem, scilicet ex candido marmore, eiusdem proceritatem, imo quodammodo duplicem esse, scilicet S. Patris et Tanchelini, etc. Germani et Belgae ²⁴⁾, prorsus necessariam censebant praedictae Statuae erectionem, pro honore S. Patris ac Ordinis, coeterequin Romae et per Italiam non satis noti. Et quamquam Reverendissimus Generalis idem censeret, nihilominus plures Galli ²⁵⁾ contrarii erant, quibusdam dicentibus : *Sufficit Patri Sancto gloria coelestis*, aliis : *Gesto S. Patrem in corde*, etc. At non ibi haerebat aqua : contribuenda erat pecunia : quo in negotio - ut saepe in Capitulo experti sumus - semper Galli refragabantur. Quidam ex illis proponebant pecuniam istam in Statuae erectione impendendam potius restaurationi

²²⁾ Procurator erat Nic. Meyers.

²³⁾ Idem.

²⁴⁾ Agitur de abbatibus, numero relative spectabili, Capitulo assistentibus.

²⁵⁾ Nomina horum Abbatum non in specie indicantur.

Chori S. Martini Laudunensis, quem prolapsa mense Septembri 1737 Turris huic incumbens pene solo aequaverat. At Capitulum magis intentum communi totius Ordinis splendori, illi, non huic, assignandam pecuniam per contributionem communem censuit, resolvitque.

His prae notatis : Proposuerat Romanus Procurator praedictae Statuae erectionem in una ex primis sessionibus, fueratque repulsam passus. At in hac sessione illa, a multis personis rursus propositum fuit idem negotium, obtinuitque votorum pluralitatem, quibusdam licet refragantibus ».

Decisio proinde Capituli Generalis aderat. Executio vero decisionis illius potissimum pro Procuratore Ordinis generali, non spernandas difficultates adhuc superandas secum ferebat. Uti abbas Lamy in articulo citato Analectorum Praemonstratensium fuse probavit.

Anno 1755, ille qui Capitulo Generali anni 1738, qua provisor suae Abbatiae, socius viae et secretarius abbatis Van Eeckhout, interfuit, I. Bapt. Sophie, abbas Grimbergensis factus est. Et paulo post, scilicet anno 1756, Vicarius Generalis Circariae Brabantiae. Porro, in *Diario* ab hoc abbate Sophie conscripto et in archivo Grimbergensi asservato, plurima exponuntur de iis quae sustulit et egit procurator generalis Ordinis Romae, Meyers, antequam statua S. Norberti revera in basilica Vaticana erigi potuerit. Expositiones istae abbatis Sophie magna ex parte confirmant ea quae l.c. ab abbate Lamy exposita sunt : variis quidem indicationibus aucta.

In notis Diarii, t. II, pp. 294 - 296, de negotio erectionis statuae dictae agit. Scripta haec fuerunt currente anno 1759. Notum est (cfr. LAMY, l.c., p. 123) statuum tandem aliquando de facto in basilica Vaticana positam fuisse, die 17 iunii 1767. Haec proinde scribit abbas Sophie : « A mense Maio huius anni (1759) querulosas maxime, omnique compassione dignissimas a Dom. Procuratore Generali Ordinis nostri et Praesidis Collegii S. Norberti ²⁶⁾, litterasque easque frequentes recepi, eo quod Illustrissimus D. De Vinay, Neo-generalis ²⁷⁾, ante obtentas Bullas sanatorias a Sanctissimo Papa Clemente XIII, Eminentissimo Cardinali Ordinis nostri Protectori ²⁸⁾, vero omnique ex parte dignissimo et dicto Procuratori firmissime addixisset saepius, Se, ut primum Generalatus dignitatem nactus, omni molimine, ac pro autoritate

²⁶⁾ Nic. Meyers.

²⁷⁾ Inde ab anno 1758 (usque ad annum 1769) Antonius Parchappe de Vinay abbas erat Praemonstrati, et Abbas generalis Ordinis. Cfr. C. TAÏEE, *Prémontré*, t. II, Lauduni, pp. 188 - 190. Idem fuerat secretarius Capituli generalis anni 1738.

²⁸⁾ Hannibal Albani. Cfr. *supra*, n. 9.

sua suprema, qua in totum Ordinem pollet, omnique conamine collaboratum et effecturum, ut neglecta a suis praedecessoribus statua marmorea aliorum Ordinum Fundatorum indilate communibus totius Ordinis expensis erigeretur, utque in nuperrimo Capitulo Generali de a. 1738, cui ut Secretarius generalis Lucae interfuerat ²⁹⁾, cui et ego ³⁰⁾, ut socius et provisor Amplissimi D. Augustini van Eeckhout aderam, propositum et resolutum fuerat.

Praedicta Patris statua seu potius eiusdem modulus et prototypus iam a 14 annis ibidem in Vaticano, loco perquam honorifico, cura, industria, et favore suprafati Eminentissimi Protectoris, exposita erat, sed nude et simpliciter in asseribus sculotis-Bas Relief, ut vocant-instabat Cardinalis Protector, ut ea e solido marmore albo ad formam aliorum exponeretur, alioquin - ut idem Cardinalis mihi scribere, et serio admonere dignatus fuit-eandemque de mandato Magistrorum Vaticanæ Ecclesiae, turpiter e loco deiciendam, eiusdem locum alii Fundatori concedendum, quod tres aliorum Ordinum Generales intime desiderabant pro suis respective SS. Fundatoribus, et nisi SSmus Dominus Clemens XIII foeliciter regnans instantissimis Cardinalis Protectoris precibus commotus, pro suprema sua autoritate impedisset, ulteriorem ex plenitudine potestatis, pro ea erigendam sex mensium moram indulgens iam executioni mandatum fuisset. Ut primum executioni litteras confirmatorias Roma Generalis Ordinis nostri impetravit desuper a Procuratore nostro Generali Romae residente nomine Eminentissimi Cardinalis Protectoris instantissime monitus, post longiores moras, satis crude respondit, erigendae valedicendum sub specioso paupertatis titulo. Quod dictus Procurator omnibus Ordinis Vicariis extra Galliam, mihiq; in primis, indilate scripsit, penitus desolatus, et ob inferendum toti Ordini et S. Patri nostro dedecus et opprobrium paene desperabundus, quo ex moerore in laethalem morbum, extremis morientium Sacramentis munitus, incidit. Hinc indequaue ab aliis Rmis Ordinis Vicariis sub ditione Augustissimæ Imperatricis Reginae nostrae degentibus, ad me missae litterae quam plurimae, ut huic opprobrio mederer, et ad hanc confusionem amovendam, auxiliatricem manum indilate apponerem, modumque proponerem, quam potui instantissime, ad eosque circulares msi litteras, ut inferendam S. Patriarchae nostro, Petrae unde excisi sumus,

²⁹⁾ de Vinay fuerat antea secretarius abbatissae generalis Lucas de Muin.

³⁰⁾ Agitur de abbate Grimbergensi Sophie. Vide supra, n. 4.

et toti Ordini nostro Canonico, iniuriam, gratiosa et liberali contributione averterent. Omnes quidem pro debito et filiali affectu in erectionem statuæ dispositos arbitrabar, sed proportionaliter debere quemque taxare. Hoc opus, hic labor.

Ut certi quid in litteris nostris-quas vide in Tabulario Abbatiali cum omnibus huc concernentibus-non enim vacabat singulos Abbates convenire statuerem. Energice ipsis exponens rei gravitatem, proposui dandas seu solvendas a singulis Abbatibus viginti tallias extraordinarias semel, eosdem rogans, ut indilate-res enim non patiebatur moram-sensa sua mihi rescribere non dedignarentur».

Litterarum. de quibus hic sermonem habet abbas Sophie, specimen editur ab abbate Lamy. l.c., p. 132 - 134. Agitur ibidem, in specie, de litteris directis ab abbate Sophie abbati Postellensi; litterae hae scriptae, Grimbergae, die 4 augusti 1759, asservantur in archivo Tongerloensi.

Pergit deinde abbas Sophie in sua expositione : « Quod ad votum accidit, omnibus per litteras consentientibus et applaudentibus, zelumque nostrum protinus approbantibus, de quibus omnibus Eminentissimum D. Cardinalem et Protectorem certiore reddidi.

Occasione consessus generalis Statuum Brabantiae, mense Octobri huius anni, D.D. Abbates Circariae fidei meae commissae in aedibus nostris Bruxellensibus convocavi 8a dicti mensis; qui nobis proponentibus de novo gratiose consentirent, et ne postea quoad solvendas tallias difficultas moveretur, quisque - uno solo pro more suo et hominis genio excepto ³¹⁾ scripto consenserunt, et subscripserunt, quin et aliqui indilate satisfecerunt. Hinc 16a currentis provisionaliter 345 scuta Romano Procuratori Generali numeranda misi.

Sola Circaria Brabantiae me negotium promovente contribuet ultra 600 scuta Romana. Illustrissimus Generalis ³²⁾ nec ullus Galliae Abbas quidquam contribuit, quin nec laudabili et protinus necessario huic operi se immiscuit, aut immiscere voluit. Hinc Amplissimi DD. Coabbates summam mihi pro huiusce negotii impensa, et ulteriore impendendo labore gratias egerunt, gratiose asserentes collocandam statuam marmoream in Vaticano Romano, zelo meo indefesso attribuendam, sine quo verisimiliter factum fuisset nihil».

De facto, in expositione memoriali procuratoris Meyers, uti refertur apud Lamy, l.c., p. 137-142,, similiter dicitur (p. 141 : « Omnibus

³¹⁾ Nomen huius « unius » non indicatur.

³²⁾ Parchappe de Vinay. Cfr. *supra*, n. 27.

Sacri Ordinis nostri Circariis quotam sibi iniunctam solventibus, exceptis Galliae circariis...». Et paulo inferius, idem Procurator proponit : « Recepta iuxta taxam a Domino Generali singulis circariis impositam, nihil invenitur de summa tributa ab abbatibus Galliae. » Additurque ab ipso procuratore Meyers : « Item pro taxa Gallorum quae fuit 500 scuta recepi a Brabantia et Suevia : 600 ». Narratque idem Procurator : « Igitur, omnibus Sacri Ordinis nostri Circariis quotam sibi iniunctam solventibus, exceptis Galliae circariis, non destiti a tempore missarum litterarum a D. Generali Parchappe de Vinai rogare et urgere ipsum et eius praesentem successorem ut quotam 500 scutorum pro statua S.P. Norberti debitam transmitteret sicut et annuas Tallias a tot annis non solutas, sed usque nihil potui obtinere. Idem fecit diversis vicibus Emmus D. Protector noster, quibus in initio humaniter respondebat, sed iam nequidem amplius respondet, nisi silentio, adeo ut numquam statua finita fuisset, nisi Circariae Brabantiae et Sueviae praeter suam taxam ex generositate illa 500 gallorum scuta supplevisent, ita ut perfectio statuae illis duabus Circariis adscribi omnino debeat ».

Ita procurator Meyers, opere perfecto et statua in loco suo designato apposita.

Abbas Sophie interim, ex sua parte, prosequitur narrationem suam :

« Ego autem minimus quidem, sed gratiosus Divi Parentis filius et cliens, omnem impensam, et ulterius impendendam pro hoc negotio operam, eidem SS. Patri offero, dedico et consacro, meamque domum quin et Ordinem nostrum universum, eiusdem potentissimo apud Altissimum patrocinio poplite flexo venerabundus commendans, numquam in me locum habiturum spero : Filios enutrivì, ipsi autem spreverunt me; quin et filii matris meae pugnaverunt contra me ».

Sed, cum procurator nondum ad finem debitum negotium ipsi commissum deducere potuisset, iterum litteras misit abbati Sophie. Litterae illae deperditae videntur. Contentum vero earum deduci potest ex iis quae de hac re exponit Sophie in Diario suo (l.c., p. 437s.) Hoc scribit abbas Sophie anno 1765; proinde negotio statuae nondum ad effectum foelicem ex toto deducto.

« Querulosas repetitis vicibus recepi litteras Roma a Domino Collegio Divi Norberti Praeside et Ordinis Praemonstratensis Procuratore Generali, statuam marmoream in Vaticano Romano erigendam concernentes, idque ratione Abbatum Galliae et Lotharingiae, variis sub praetextibus nihil pro dicta statua contribuere volentium, quin et aliqui inter eos in tantum temerarii, ut responderint : sufficit

S. Patri sua gloria in coelis, et oret pro nobis, atque inter hos praecipue et antesignani in Gallia et Lotharingia Reformati strictioris observantiae. Hungari, Poloni et Belgi iam requisitae et ab Ordinis Generali constitutae taxae omnino satisfecerunt, sed praefatae statucae sculptor expertissimus ³³⁾ eam erigere-idque merito-renuit, donec omnia sibi de addicta summa 4000 Romanorum scutorum satisfactum foret, ob Gallorum-de more-tenaciam exiguamque-ne peius dicam-in S. Fundatorem nostrum veneratione, inceptoque praeclaro adeo operi valedicentium. Ut iam inceptum et pene absolutum perficeretur et ne in perpetuum Ordinis dedecus et opprobrium, ut mihi scribere dignatus est Eminentissimus Ordinis nostri Cardinalis Protector, assignatum locum, alterius Ordinis Fundatori, ad quem inhihebant plurimi concederetur ³⁴⁾, convocandos iterum ut Vicarius Generalis Circariae Brabantiae Coabbates censui in 12am Aprilis, eisque exposui efficacissime Gallorum tenacitatem; rogavi, institui, peroravi ut liberaliter et generose pro suo in Sanctum Norbertum amore, veneratione, debito cultu et zelo, denuo quid contribuerent, totumque a Nobis desideratum opus ad culmen perfectionis absolveretur. Sed non in vanum noster in perorando labor, ultra iam 600 a Circaria Brabantiae a me collecta et Romam missa Romana scuta sed variis clausulis Gallis minime honorificis. Eodem quo proposueram modo, sine vel minima tergiversatione, consenserunt et subscripserunt utpote :

Grimberga : 30 scuta seu coronas francias. — S. Michael : idem. — Parcum : idem. — Averbodium : idem. — Tongerloa : idem. — Nino-via : idem. — Berna : 15 scuta seu coronas francias. — Diligem : 15. — Vallis Liliorum : 15. — Postel : 15 ³⁵⁾.

Hac occasione de novo iterum Ampl. Dom. Abbates alte testati sunt sine continuo studio, cura et instantiis, etiam apud alios Vicarios Generales opus hoc numquam completum iri, quod et Procurator Generalis saepe litteris ad alios Praelatos testatum voluit... S. Pater Norbertus ora pro me indignissimo filio tuo ».

Tandem negotium ad finem foelicem perduci potuit. Uti Abbas Lamy in articulo iam iteratis vicibus citato, recte exposuit (l.c., p. 12).

³³⁾ Sculptor iste erat Petrus Bracci. Cfr. H. LAMY, l.c., p. 122.

³⁴⁾ Cfr. H. LAMY, l.c., p. 122.

³⁵⁾ Cfr. H. LAMY, l.c., p. 122, 135, 141 s.

Quod et abbas Sophie explicitis verbis in Diario suo hac ratione exprimit : « Post varios casus exantlatosque labores et diutinas procrastinationes undique scriptas receptasque a me epistolas, tandem aliquando pro voto nostro erecta est in Vaticana Ecclesia Romae statua marmorea, in perenne monumentum, SSmi Patris Norberti. Sub hac inscriptione quae litteris deauratis in limine legitur :

S. Norberto suo Institutori

postea Archiepiscopo Magdeburgensi

erexerunt

Canonici Praemonstratensis. Anno 1767 ». (Sophie, *l.c.*, p. 446).

Abdij

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

B-3281 Averbode (Belg.)